

43 : *Si tradidero, etc.* — Ad fundamenta primæ opinionis, ad primum ex testimonio Pauli, *si tradidero corpus meum, etc.*, dicitur primo ex Chrysost. et Theophyl., sermonem Pauli non esse absolutum, sed conditionalem; non enim affirmat, posse aliquem pro Christo mortem pati, et sine charitate manere, sed solum ex hypothesi ait, si per possibile vel impossibile id accideret, talem mortem nihil prodesse; quod verissimum est, quia sine charitate nihil sumus; cum hoc tamen stat, ut nunquam talis mors pro Christo sit sine charitate; et ideo non sit infructifera. Secundo dicitur, Paulum non dicere: *Si tradidero corpus meum propter Christum, sed absolute: Si tradidero, charitatem autem non habuero;* ait autem D. Thom. ibi, tunc tradi corpus absque charitate, quando vel cum tali opere adest voluntas peccandi mortaliter, vel quando fit propter inanem gloriam, significans, quando quis tradit vitam propter fidem, vel religionem, vel honorem Christi, licet id non faciat ex præsupposito habitu charitatis, neque ex formali et actuali Dei dilectione, non posse omnino dici id face-re absque charitate, quia ipso opere aliquo modo exhibet dilectionem Christi, ut supra tactum est. Unde dicitur tertio, duobus modis intelligi posse, aliquem tradere corpus suum absque charitate: uno modo absque charitate antecedente, quæ sit aliquo modo causa operis, vel simpliciter, vel in esse meriti; vel consequente, ita ut ex tali opere non sequatur charitas in operante, neque illud antecedit. Rursus duobus etiam modis intelligi potest, tradere corpus absque charitate, nihil prodesse, scilicet, aut meritorie ex proprio merito operantis, vel nullo prorsus modo; tradere igitur corpus suum tali modo, qui nec sit ex charitate, neque habeat charitatem adjunctam, et quasi consequentem opus ipsum saltem in termino operis, est prorsus infructuosum et inutile, et ita potest recte Paulus intelligi; similiter tradere corpus suum absque charitate, aliquo modo antecedente opus ipsum, et operante vel dignificante illud, est infructuosum, quantum ad proprium meritum operantis, et ita etiam potest exponi Paulus, ut D. Thom. et Cajet. ibi significant; et quoad hoc est eadem ratio de martyrio et de elemosyna, et neuter sensus repugnat his, quæ hactenus diximus; at vero tradere corpus suum absque charitate antecedente, cum illa tamen consequente, seu in ipso opere comparata, non est omni modo inutile,

sed valde utile, quia non est omnino sine charitate, atque ita contingit in martyrio, de quo hactenus locuti sumus, nam, licet charitatem non supponat, secum tamen illam trahit, et ideo multum prodest. Ut si dicere-mus: Si de peccatis doleam, eaque confitear, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest: absolute loquendo verissime dictum est, quia eo modo, quo illam non habeo, illa actio mihi non prodest; unde, si neque ante-cedentem, neque consequentem charitatem habeam, nihil omnino proderit illa confessio; si tamen non habeam charitatem anteceden-tem ipsam confessionem, tamen per confes-sionem illam obtineam, multum proderit illa confessio, quia non omnino est sine charitate; sic ergo nos dicimus de martyrio; neque ex loco Pauli colligi potest, nunquam tale esse martyrium, quod licet ex charitate non pro-cedat, secum tamen illam non afferat; nec D. Thom. huic doctrinæ vel expositioni repu-gnat, quam aliis locis tam aperte docuit. Quod ergo ait, in baptismo sanguinis Spiritum Sanctum operari per potissimum di-lectionis actum, ideo dictum est, quia ipsum martyrium ex se videtur maximum opus, quod potest charitas imperare; propter quam causam inter alias, Spiritus Sanctus voluit in eo opere specialiter operari, et gratiam atque indulgentiam concedere. Et similiter, quod ait, baptismum sanguinis includere bap-tismum flaminis, intelligendum est ratione cha-ritatis habitualis, quam secum affert, et ratio-ne formalis, aut virtualis propositi implendi omnia præcepta, quod includitur in attritio-ne, præsertim informata charitate.

23. *Ad secundum.* — Ad secundum argu-mentum respondetur, in hoc esse posse ali-quam convenientiam inter baptismum aquæ et sanguinis, quod in utroque dari potest gratia Spiritus Sancti ultra meritum operan-tis; neque hoc unquam negavit D. Thomas; possunt tamen in hoc differre, quod in bap-tismo aquæ non solum datur gratia, sed etiam ipsemet operatur illam, et ideo dicitur ope-rari per virtutem latentem Spiritus Sancti; in martyrio vero, licet detur gratia, non oportet ut ipsa passio illam efficiat, quia non est ad hoc instituta, nec ibi operatur homo ut minister Dei; et ideo non dicitur opus illud operari per virtutem latentem Spiritus Sancti, sed solum dicitur ibi Spiritus Sanctus operari ex speciali privilegio.

24. *Ad tertium.* — *Quo tempore martyrii privilegium cæperit.* — Unde ad tertium res-

pondetur, esse posse quæstionem de nomine, an sit dicendum martyrium dare gratiam ex opere operato; nam si per hanc loquendi formam intelligatur, opus ipsum martyrii conferre gratiam, tanquam propriam, et per se causam illius, sic non est necesse, id con-cedere; si autem solum significetur, posito illo opere, Spiritum Sanctum dare specialem gratiam absque merito, vel ultra meritum patientis, sic nullum est inconveniens, id con-cedere. Ad primam autem probationem in contrarium negatur, in cæ sequi martyrium esse sacramentum, quamvis id male concedat Major in 4, dist. 4, quæst. 3; nam ad ratio-nem sacramenti non satis est, quod sit opus externum, in quo detur gratia; sed in primis oportet, ut sit cæremonia sacra, ut supra dictum est; deinde oportet, ut sit instituta ad significandum; neutrum autem horum conve-nit martyrio, quod ex parte tyranni est actio prava, præter Dei ordinationem et institutio-nem, sed solum ex permissione; ex parte autem martyris tantum est quidam actus virtutis, cui Deus voluit hunc effectum et privilegium concedere. Ad secundam vero rationem, in qua petitur, quando inceperit hoc privilegium martyrii, videri quidem po-dest incepisse a Christi adventu; nam Sancti illud fundant in ejus verbis, et promissione, et in conformitate ad mortem ejus, quæ ante proprie non erat. Ac denique quia ante Christi adventum non dabatur gratia ad modum ope-ris operati, nisi in sacramento parvulorum, veluti ob necessitatem extremam. In contra-rium autem sunt argumenta non parva. Pri-mum de martyrio Innocentium, quod habuit hunc effectum ante Christi mortem, et ante verba, et promissionem ejus, et ideo non re-ferat, quod non fuerit ante incarnationem, quia incarnatio non potuit esse initium hujus pri- vilegii, nisi media aliqua actione vel promis-sione Christi, quæ nondum tunc præcesserat; signum ergo est, non fuisse tunc inchoatum hoc privilegium. Secundum argumentum su-mi potest ex martyrio Machabæorum, et aliis antiquioribus, quæ non minus exaggerantur a Sanctis, ut videre licet in Cypri., lib. de Exhort. martyrii, c. 44, et Gregor. Nazianz., orat. 22, quæ est de Machabæis, quos dicit fuisse Christi passioni conformes, et in fide illius consecutos esse justitiam, et effectos nive candidiores, quo verbo significat remis-sionem totius culpæ et pænæ. Unde Tertull., in Scorpiaco, cap. 8: *Habes, inquit, hic et prædicationem, et remunerationem martyrii.*

Videtur ergo hæc pars consentanea sanctis Patribus. Præterea videtur consentanea divi-næ providentiæ; nam hoc privilegium non est concessum martyrio per modum sacra-menti, sed per modum excellentissimi actus virtutis, et propter maximam cum Christo con-formitatem; quæ duæ rationes semper repertæ sunt in martyrio; nam etiam ante Christi ad-ventum erat maximum opus, et quodammodo magis laudabile, tum quia eo tempore erant pauciora exempla tantæ fortitudinis; tum etiam quia erat fides obscurior, et minor divinæ gratiæ communicatio; erat etiam con-formitas cum Christo fide credito, et præsertim apud Deum cui omnia sunt præsentia. Est ergo hæc sententia et pia et probabilis, quamvis nihil temere asserendum sit, cum antiqui nihil de hac re clare docuerint; illa tamen differentia indubitata est, quod mar-tyrium ante Christi mortem non aperiatur januam regni, sicut nunc aperit, quia nec poterat totius naturæ impedimentum auferre, nec supponebat ablatum, sicut nunc est per Christi mortem.

25. *Quo tempore, vel instanti martyrium gratiam tribuat.* — *Prima sententia.* — *Re-jicitur hæc sententia.* — *Secunda sententia.* — *Sententia tenenda.* — In tertia parte illius argumenti petitur, quo tempore vel momento detur gratia homini non habenti illam et pa-tienti martyrium. Quæ difficultas non tantum procedit circa ea, quæ hic dicta sunt, sed etiam circa ea, quæ in sectione 4 diximus, nam eadem difficultas locum habet in mar-tyrio Innocentium. Primus ergo dicendi mo-dus esse potest, dari gratiam in instanti mortis, quod est primum non esse hominis, quia tunc martyrium consummatur. Huic sen-tentiæ favet Cajet. 2. 2, quæst. 124, art. 4, circa solut. ad 4, ubi concedit, martyrem me- reri in illo instanti, in quo primo non est; nam si hoc est verum, necesse est fateri illud instans intrinsece pertinere ad viam, saltem tanquam terminum ejus, quia homo mereri non potest, nisi in via; ergo eadem ratione potuit in illo instanti justificari, etiam si prius gratiam non habuerit, si in eo instanti con-summetur medium sufficiens ad justitiam, quale est martyrium, sicut alii idipsum con-cedunt in baptismo aquæ, si contingat in eodem instanti consummari, ut Almainus, tr. 2 moral., c. 2. Hæc vero sententia mihi non placet, quia non est consentanea aliis principiis Theologiæ, ut supra telegi, trac-tando de sacramentis in genere. Et præterea,

quia falsum est, illud instans pertinere intrinsece ad statum vitæ, si in illo jam anima non est unita corpori, quia si tunc nullum habet impedimentum, ut contingit in martyre, statim in eodem instanti videt Deum; ergo non habet fidem; ergo non est in via, quia solum quamdiu sumus in corpore, peregrinamur a Domino; per fidem enim ambulamus. Si autem in eo instanti jam anima non est in via, non potest in ea mutari status, quem immediate antea habuit in corpore, quia talis status viæ datus est ad gratiam comparandam. Ubi autem ceciderit lignum, ibi erit, sive ad austrum, sive ad aquilonem. Est ergo parum consentaneum principiis fidei, dicere, posse hominem, qui in toto tempore hujus vitæ duravit in statu peccati mortalis, salvari in primo sui non esse; aut eum, qui nunquam habuit fidem in hac vita, neque actualem, neque habitualement, posse in instanti mortis incipere Deum videre, quod saltem de infantibus, qui nunc martyrio afficiuntur, necessario fatendum esset. Unde ad Cajetanum, negatur instans mortis esse sufficiens ad meritum martyris, si in illo instanti jam non est, quia nullum est meritum in pura creatura, nisi fundatum in fide; tunc autem jam non est fides. Item, quia in illo instanti jam non potest esse demeritum ex vi status; neque enim fieri potest, ut in eo instanti aliquis perdat gratiam, quam immediate antea habebat; status autem merendi non plus durat, quam status demerendi. Ad Almainum vero dicitur, ejus sententiam esse falsam; de qua satis dictum est supra de sacramentis in genere. Secundus modus dicendi esse potest, dari gratiam martyri in instanti mortis, tamen illud non esse primum non esse hominis, sed ultimum esse illius. Quæ sententia est quidem accommodata ad salvanda omnia principia Theologiæ, quia juxta illam anima in eo instanti adhuc est corpori mortali unita; adhuc ergo est in via, et nondum est capax visionis, sed fidei; et ideo recte potest tum denuo justificari; ergo cum martyrium tunc consummetur, verisimile est tunc habere effectum. Verum hæc sententia supponit principium philosophicum paucis probatum; nam fere omnes sentiunt, res permanentes desinere per primum non esse, quod modo disputandum non est, neque negandum, ad tuendam sententiam Theologicam, quam defendimus; nam quomodo-cumque homo desinat esse, potuit Deus hanc gratiam concedere martyribus, adhuc in corpore viventibus. Data ergo hypothesi, quod

homo desinat per primum non esse, dicendum est dari gratiam martyri in aliquo priori instanti, inter quod, et instans mortis necesse est, ut aliquod breve tempus intercedat. Nec refert, quod in eo instanti nondum sit vita consummata; nam satis est, quod per vulnera lethalia, aut aliud genus passionis, jam sit homo in eo statu constitutus, in quo jam est mors naturaliter inevitabilis; nam tunc jam apud Deum est completum et acceptum martyrium; et hanc sententiam sequitur Vega, lib. 6 in Trident., c. 37, neque videtur difficultatem habere alicujus momenti. Nisi quis fortasse dicat, in quocumque tempore hujus vitæ posse hominem peccare; ergo posset martyr in eo brevi tempore peccare et gratiam perdere, et ita damnari post obtentam gratiam martyrii, quod videtur valde alienum a sensu omnium Patrum. Respondetur tamen simpliciter negando sequelam; primo quidem, quia licet homo possit peccare in hac vita, quamdiu potest uti ratione et libero arbitrio, verisimile tamen est, seclusis miraculis, semper esse aliquod breve tempus ante mortem, in quo jam ita est homo viribus corporis destitutus, aut sensibus impeditus, ut jam non possit ratione, aut libertate uti; ex hac igitur parte fieri potest, ut jam martyr peccare non possit, quando illi gratia conferatur. Secundo, quia etiam si homo posset uti ratione, et libertate usque ad instans mortis, verisimile est, per gratiam martyrii in eadem gratia confirmari, ita ut vel peccare non possit, vel infallibiliter amplius non peccet; quod perinde est, quantum spectat ad effectum gloriæ consequendæ. Dices: ergo, si talis homo aliqua via mortem evaderet, maneret confirmatus in gratia toto tempore vitæ. Respondetur, casum esse naturaliter impossibilem, quia supponimus, gratiam non dari, donec mors est naturaliter inevitabilis. Si autem miraculose Deus vellet hominem conservare, postquam ad illum statum pervenit, dici potest, tunc non dari illi homini effectum martyrii, quia Deus prævidet non fore martyrium in illo homine consummandum. Quod tamen mihi non admodum placet, tum quia non est mihi verisimile, Deum privare hominem effectu gratiæ suæ propter miraculum, quod in eo vult operari; tum etiam quia non est, cur dicamus de ratione martyrii esse, ut mors nullo modo impediatur, et non satis esse, pati usque ad mortem naturaliter inevitabilem; nam per hujusmodi passionem æquale testimonium redditur; quod si miraculum inter-

cedat, adauget testimonium, non minuit. Virtutes etiam fidei, fortitudinis et aliæ æqualiter exercentur. Concedo ergo, tunc etiam dari gratiam homini ratione illius passionis, et confirmari in illa, saltem pro ea occasione, aut pro eo tempore, quo naturaliter posset vivere. An vero pro reliquo vitæ tempore maneret etiam in gratia confirmatus, incerta res est; nam cum hoc sit præter legem, non videtur comprehensum sub communi privilegio martyrii; nihilominus tamen pie credi potest, nunquam Deum esse miraculose liberaturum martyrem ab hujusmodi morte, quin illum in gratia confirmet, quia et hoc donum est valde consentaneum dignitati martyrii, et quia cum Deus tunc miraculose revocet (ut sic dicam) illum hominem a paradisi janua, illumque detineat, ne beatitudinem accipiat, quam statim esset infallibiliter consecuturus, valde consentaneum est providentiæ ejus, ut eum confirmet in acquisito jure beatitudinis.

26. *Ad argumenta pro secunda sententia.* — Ad argumenta facta in favorem secundæ sententiæ primo modo explicatæ, fere responsum est ex dictis; nam martyrium non est per se medium ordinatum ad tollenda peccata, et ideo non excludit, per se loquendo, necessitatem baptismi et pœnitentiæ; neque hæc obligatio est admodum difficilis, aut impediens effectum martyrii; nam si peccata memoriæ occurrant, eorum detestatio potius præbebit animum ad mortem constantius et alacrius obeundam. Quomodo autem sola voluntas martyrii per se non sufficiat, nec satis contineat Dei amorem et detestationem peccatorum, jam ostensum est. Ad ea vero, quæ in secundo membro illius sententiæ adducebantur, respondetur, quod ad attritionem attinet, non esse eandem rationem de baptismo aquæ et sanguinis; non quia hic sit minus efficax, sed quia non est per se ordinatus ad remissionem culpæ, sicut ille, et ideo etiam per se non excludit necessitatem contritionis. Reliqua, quæ in ea sententia adducta sunt, non sunt contraria his, quæ diximus. De tertia vero sententia jam dictum est, esse probabilem; tamen quia contrariam etiam probabiliter sustinimus, quoad eum casum, in quo est voluntas patiendi martyrium absque ulla alia dispositione, respondetur, quoad hoc non esse eandem rationem de baptismo aquæ, tum quia voluntas baptismi aquæ non est tam insigne opus, sicut martyrium, neque ita continet aliquo modo amorem Dei et aversionem voluntatis a bono creato;

tum etiam quia licet baptismus aquæ sit ordinarium remedium, baptismus tamen sanguinis est excellentior, et majora habet privilegia, ut fuse satis declaratum est.

QUÆSTIO LXX.

DE CIRCUMCISIONE QUÆ PRÆCESSIT BAPTISMUM, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de præparatoriis ad baptismum.

Et primo de præparatorio, quod præcessit baptismum, id est, de circumcissione.

Secundo de præparatoriis, quæ concurrunt simul cum baptismo, scilicet de catechismo et exorcismo.

Circa primum quærentur quatuor.

1. *Utrum circumcisio fuerit præparatoria et figurativa baptismi.*
2. *De institutione ipsius.*
3. *De ritu ejus.*
4. *De effectu ipsius.*

Hanc questionem interposuit hoc loco D. Thomas occasione sumpta ex analogia, quæ est inter circumcisionem et baptismum, et quia, sicut lex vetus præparavit homines ad legem gratiæ per Christum dandam, ita circumcisio, quæ fuit professio legis veteris, fuit præparatio quædam ad baptismum, in quo fit legis gratiæ professio. Nobis autem in superioribus necessarium fuit multa de circumcissione dicere, dum explicarem institutionem veterum sacramentorum, atque eorum efficaciam; et in superiori tomo, disput. 45, circa quæst. 37 D. Thomæ, tractando de circumcissione Christi, nonnulla de hoc sacramento attigimus, quæ omnia hoc loco repetenda non sunt; et ideo necessarium non erit specialem de circumcissione disputationem instituere; nam si quid occurrerit addendum, in Commentariis articulorum breviter poterit adnotari.

ARTICULUS I.

Utrum circumcisio fuerit præparatoria et figurativa baptismi (sup. quæst. 68, art. 1, ad 1, et 1. 2, q. 102, art. 5, corp.; et 4, dist. 1, quæst. 2, art. 1, quæst. 1, corp., et dist. 2, quæst. 1, art. 1, ad 5, et Roman. 2, lect. 2 et 4).

1. *Ad primum sic proceditur. Videtur, quod circumcisio non fuerit præparatoria et figurativa baptismi. Omnis enim figura habet ali-*

quam similitudinem cum suo figurato. Sed circumcisio nullam habet similitudinem cum baptismo. Ergo videtur, quod non fuerit preparatoria et figurativa baptismi.

2. Præterea, Apostolus dicit 1 Cor. 10, de antiquis Patribus loquens, quod omnes in nube et in mari baptizati sunt. Non autem dicit, quod in circumcissione baptizati sint. Ergo protectio columnæ nubis, et transitus maris rubri, magis fuerunt preparatoria ad baptismum et figurativa ipsius, quam circumcisio.

3. Præterea, supra dictum est (quæst. 38, art. 1, ad 1), quod baptismus Joannis fuit preparatorius ad baptismum Christi. Si ergo etiam circumcisio fuit preparatoria et figurativa baptismi Christi, videtur, quod baptismus Joannis fuerit superfluus, quod est inconveniens. Non ergo circumcisio fuit preparatoria et figurativa baptismi.

Sed contra est, quod Apost. dicit Coloss. 2 : Circumcisi estis circumcissione non manu facta, in expoliatione corporis carnis, sed circumcissione Christi, consepulti ei in baptismo.

Respondeo dicendum, quod baptismus dicitur sacramentum fidei, in quantum scilicet in baptismo fit quædam fidei professio, et per baptismum aggregatur homo congregationi fidelium. Eadem autem est fides nostra et antiquorum Patrum, secundum illud Apost. 2 Cor. 4 : Habentes eundem Spiritum fidei, credimus. Circumcisio autem erat quædam protestatio fidei. Unde dicitur Rom. 4, quod Abraham accepit circumcissionem, tanquam signaculum fidei. Unde et per circumcissionem antiqui aggregabantur collegio fidelium. Unde manifestum est, quod circumcisio fuit preparatoria ad baptismum et præfigurativa ipsius, secundum quod antiquis Patribus omnia in figuram futuri contingebant, ut dicitur 1 Cor. 10, sicut et fides eorum erat de futuro.

Ad 1 ergo dicendum, quod circumcisio habebat similitudinem cum baptismo, quantum ad spirituales effectus baptismi. Nam sicut per circumcissionem auferebatur quædam carnalis pellicula, ita per baptismum homo expoliatur a carnali conversatione.

Ad 2, dicendum, quod protectio columnæ nubis, et transitus maris rubri, fuerunt quædam figuræ nostri baptismi, quo renascimur ex aqua figurata per mare rubrum, et Spiritu Sancto significato per columnam nubis. Non tamen per hæc fiebat aliqua professio fidei, sicut per circumcissionem. Et ideo prædicta duo erant tantum figuræ et non sacramenta. Circumcisio autem erat etiam sacramentum

preparatorium ad baptismum, minus tamen expresse figurans baptismum, quantum ad exteriora, quam prædicta. Et ideo Apostolus potius fecit mentionem de prædictis, quam de circumcissione.

Ad 3, dicendum, quod baptismus Joannis fuit preparatorius ad baptismum Christi, quantum ad exercitium actus; sed circumcisio, quantum ad professionem fidei, quæ requiritur in baptismo, sicut dictum est.

COMMENTARIUS.

Respondet D. Thom. circumcissionem fuisse figuram baptismi, quam veritatem tam certam existimavit esse August., lib. 4 cont. Crescon., c. 31, ut cum hæreticis loquens dicat : Circumcissionem certe præputi in figura futuri baptismi Christi ab antiquis observatam esse, negare, ut arbitror, non audeatis. Et 6 cont. Julian., c. 3 : Sacramentum, inquit, circumcissionis in figura præcessisse baptismatis, quis vel mediocriter sacris litteris eruditus ignoret? cum apertissime de Christo dicat Apostolus : Qui est caput omnis principatus, in quo et circumcisi estis, circumcissione non manu facta in expoliatione corporis carnis, sed in circumcissione Christi, consepulti ei in baptismo. In quibus verbis aperte Paulus baptismum vocat, circumcissionem Christi, nomine figuræ appellans rem figuratam. Quo testimonio utitur D. Thom. hic, in argum. Sed contra. In corpore autem articuli probat D. Thom. ex analogia inter utrumque sacramentum et utriusque munera; nam sicut circumcisio erat suo tempore professio fidei, ita nunc est baptismus; et sicut circumcisio erat quoddam signaculum fidei, quo signabantur homines, qui ad specialem illam congregationem fidelium pertinebant, ita nunc per baptismum aggregatur homo congregationi fidelium. Et in solut. ad 1, addit, fuisse similitudinem inter exteriorem, seu carnalem effectum circumcissionis, et interiorem ac spirituales effectus baptismi; nam sicut per circumcissionem auferebatur quædam corporis particula, ita per baptismum expoliatur homo a carnali conversatione, quod satis significavit Paulus in loco citato ad Coloss., et ad Rom. 4, ubi circumcissionem vocat signaculum justitiæ. Quomodo dixit Irenæus, lib. 4 contra hæres., c. 30 : Secundum carnem circumcisio circumcissionem præfigurabat spirituales, et August., lib. 6 contra Faustum, c. 3 : In quo, inquit, membro congruentius

expoliatio carnalis et mortalis concupiscentiæ figuratur, quam unde carnalis et mortalis fœtus exoritur? Unde tandem in solutionibus aliorum argumentorum concludit, in exteriori signo et exercitio actus externi, transitum maris rubri, et alias similes figuræ potuisse esse similiores baptismi Christi, et baptismum Joannis eodem modo fuisse propinquorem præparationem ad baptismum Christi; tamen in effectu et in usu, quoad professionem fidei et aggregationem fidelium, circumcissionem fuisse potissimam figuram et sacramentum preparatorium ad baptismum. Dices, ex his omnibus ad summum colligi, inter hæc sacramenta esse analogiam et proportionem quandam, non vero, quod unum sit institutum ad præfigurandum, seu adumbrandum aliud. Sic enim etiam August., epist. 57 et 203, dicit, circumcissionem fuisse antiquis sanctis pro baptismo; quod dici etiam posset de sacramento legis naturæ, quamvis non esset specialis figura baptismi. Respondetur, in omni signo ad placitum significante et prudenter imposito, reperiri aliquam analogiam, seu proportionem, continentem imperfectam quandam repræsentationem, quasi naturalem, quæ est aliquo modo fundamentum talis impositionis, et hanc fatemur reperiri aliquo modo inter circumcissionem et effectum baptismi; quomodo dixit Damascenus, lib. 4, c. 26 : Circumcisio baptismi figura erat; quemadmodum enim circumcisio non utile aliquod ac necessarium corporis membrum, sed supervacaneum excrementum abscindit, ita per sanctum baptismum peccatum nobis amputatur, quod cupiditatis excrementum est, non utilis cupiditas. Et similia habet Chrysost., Homil. 39 in Genesim, circa finem; nec dissimile est, quod ait August., 46 de Civitate Dei, c. 6 : Quid aliud circumcisio significat, quam, vetustate exuta, naturam renovatam? Et 46 contra Faustum, c. 29 : Quid significat circumcisio carnis, nisi spoliationem mortalitatis, quam de carnali generatione portamus? Quod idem fere est cum eo, quod Paulus de baptismo docet ad Rom. 6 : Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis, ita et nos in novitate vitæ ambulemus. Præter hoc tamen negandum non est, quin speciali Dei institutione et intentione fuerit circumcisio imposita ad figurandum baptismum, et effectum ejus, et expoliationem carnalium concupiscentiarum per Christum dandam, ut ait

Augustinus, 2 contra litteras Petiliani, c. 37, et præfiguranda alia multa, de quibus Patres citati copiose disserunt. Et idem August., epist. 200, et lib. 3 contra Julianum, cap. 19, et Theodor., quæst. 67 in Genesim; quam veritatem tandem confirmat D. Thom. in articulo, ex illa generali doctrina Paul. 4 ad Cor. 10 : Omnia in figura contingebant illis.

ARTICULUS II.

Utrum circumcisio fuerit convenienter instituta (2. 2, quæst. 102, art. 5, ad 1, et quæst. 103, art. 1, ad 3; et 4, dist. 1, art. 2, quæst. 4, corp., et quæst. 2, art. 1, quæst. 3, per tot.).

1. Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod circumcisio fuerit inconvenienter instituta. Sicut enim dictum est (art. præced.), in circumcissione fiebat quædam fidei professio. Sed a peccato primi hominis nullus unquam salvari potuit, nisi per fidem passionis Christi, secundum illud Rom. 3 : Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius. Ergo statim post peccatum primi hominis, circumcisio institui debuit et non tempore Abraham.

2. Præterea, in circumcissione homo profitebatur observantiam veteris legis, sicut in baptismo profitetur observantiam novæ legis. Unde Apostol. dicit Galat. 3 : Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ. Sed legalis observantia non est tradita tempore Abraham, sed magis tempore Moysi. Ergo inconvenienter instituta est circumcisio tempore Abraham.

3. Præterea, circumcisio fuit figurativa et preparativa baptismi. Sed baptismus exhibetur omnibus populis, secundum Matth. ult. : Euntes, docete omnes Gentes, baptizantes eos, etc. Ergo circumcisio non debuit institui, ut observanda tantum ab uno populo Judæorum, sed ab omnibus populis.

4. Præterea, carnalis circumcisio debet respondere spirituali, sicut figura figurato. Sed spiritualis circumcisio, quæ fit per Christum, indifferenter convenit utrique sexui, quia in Christo Jesu non est masculus, neque femina, ut dicitur Coloss. 3. Ergo inconvenienter est circumcisio instituta, quæ competit solis maribus.

Sed contra est, quod, sicut legitur Genes. 17, circumcisio est instituta a Deo, cujus perfecta sunt opera.

Respondeo dicendum, quod, sicut dictum est (art. præced.), circumcisio erat preparatoria